

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 46207/12 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Novae causae propositionis

DECRETUM

Decreto coram R.P.D. [A] die 12 maii 2011 lato, novum denegatum est causae examen, quae bina pronuntiatione pro nullitate matrimonii ob incapacitatem obligationes matrimonii essentiales assumendi ex parte mulieris conventae definita erat.

Quod adversus decretum rotale mulier conventa die 27 decembris 2011 ad H.S.T. provocavit. Parte resistente de recursu certiore facta atque interveniente, Cl.ma Patrona memoriale exhibuit, Rev.dus Defensor Vinculi deputatus animadversiones ac Rev.mus Promotor Iustitiae votum pro rei veritate.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

PRAEIJUDICIALITER

Viso quod, iuxta praescriptum art. 58 *Legis propriae*, qua hoc Supremum Tribunal regitur, «in causis de statu personarum, recursus adversus denegatum a Rota Romana novum causae examen intra peremptorium triginta dierum terminum proponi potest» (AAS 100 [2008] 526),

atque attento quod decretum rotale, novum causae examen denegans, die 7 novembris 2011 mulieri conventae intimatum esse constat, dum recursus ad hoc Supremum Tribunal die 27 decembris 2011 datus est atque die 3 ianuarii 2012 pervenit,

ac, proinde, pro comperto habito quod recursus penes hanc Signaturam Apostolicam extra terminum peremptorium porrectus est ac proinde reiciendus;

TANTUMMODO SUBORDINATE

Perspecto quod:

- novum causae examen duplicem post decisionem conformem in causis de statu personarum concedi potest novis iisque gravibus probationibus vel argumentis allatis (cf. can. 1644, §1);

- novae probationes iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam graves censentur quatenus decisionum reformationem saltem probabilem reddunt, non sufficiente vero merae censurae et animadversiones criticae super decisionibus latis uti in appellationis rationibus, quin necesse sit ut sint gravissimae, multoque minus decretoriae, quae scilicet contrarium decisionem peremptorie clament;

- inter quas probationes etiam examina conclusionesque periti adnumerari licet, dummodo reapse argumenta nova et gravia constituant;

Praemisso quod decisio primi gradus, per decretum rotale coram R.P.D. [B] efficaciter confirmata, triplici fundamento nititur:

- factis in instructione adductis seu modis agendi partis conventae: ad quos stabiliendos testibus partis actricis *non immerito* creditur, uti sat clare decretum confirmatorium animadvertisit quia ipsi cohaerentes sibi invicem evadunt, singillatim facta enarrantes, dum testes partis conventae prorsus generici apparent;

- recusatione examini peritali sese subiciendi ex parte mulieris conventae, quae recusatio qualificata evasit et a Iudicibus primae curae *non immerito* ad normam can. 1531, §2 ponderata videtur;

- conclusionibus peritalibus, quibus Iudices suum cuique pondus *non immerito* tribuunt; nam, uti decretum rotale confirmatorium animadvertisit, conclusionibus peritalibus Cl.mi periti [C] adhaerendum est tum ob attentam necnon minutam cibrationem tabularum processualium, quam ob gravitatem conclusionum, aliis verbis, quia recte conclusiones illae congruunt cum crisi tabularum processualium;

Pro comperto habito quod assertum novum graveque argumentum in peritia super muliere conventa a Cl.mo perito D.no [D] peracta consistit;

sed ad rem animadverso quod:

- examen Cl.mi periti haud nititur factis quae Iudices probata tenuerunt (cf. cann. 1579, §1; 1578, §2); nam hoc fundamentum saltem ter negatur;

- quae a Cl.mo perito [D] de conventa adnotantur et admittuntur satis superque sunt ad diagnosim a decisionibus iudicialibus receptam saltem non irrationalib[er]e tenendam;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Perpenso quod ex hucusque adductis apta responsio datur animadversionibus a Rev.do Defensore Vinculi deputato exaratis,

Praetermissa quaestione, et quidem gravi, num peritia super conventa nuper peracta probatio *nova* ad normam can. 1644, §1 haberi possit, postquam eadem pars conventa in instantiis praecedentibus examini peritali, iudice iubente, sese subicere recusaverat;

Cum denique, argumentum allatum saltem grave haberi nequeat ad probabilem reddendam eversionem decisionis pro nullitate latae;

Visis praescriptis can. 1644, §1 atque art. 122, n. 2, Const. Apost. *Pastor bonus*;

Vi artt. 33, n. 2 et 58-61 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Praefecto die 11 maii 2012 habito,

decrevit:

«Recursum ad novum causae examen obtinendum, utpote extra terminum peremptorium propositum reiciendum esse et facto reici; subordinate quidem, novam causae propositionem in casu non concedendam esse atque facto non concedi».

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11 maii 2012.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*

IURISPRUDENTIAE: PROT. N. 46207/12 CG